Figura huius regis novi et huius oblationis
~~Prenunctiata~~ demonstrata fuit olim in regno regis Salomonis
Salomon rex licet puer esset tamen sapientissimus fuit
Deus puer factus non minus sapiens quam antea extitit
Salomon rex residebat in throno de ebore mundissimo
Qui vestitus erat auro optimo et mundissimo
Omnes reges terre regem Salomonem videre desiderabant
Et ei munera preciosissima et carissima offerebant
Sed regina Saba inaudibilia munera ei offerebat
Quanta et qualia in urbem prius visa non fuerant
Thronus veri Salomonis est beatissima virgo Maria
In qua residebat Jhesus Christus vera sophia
Thronus iste factus erat de nobilissimo thesauro
De ebore scilicet candido et fusus nimis auro
Ebur propter suum candorem et frigiditatem
Designat virginalis mundicie castitatem
Ebur antiquum ~~cadit~~ capit colorem rubeum
Sic antiqua et longa castitas reputatur martirium
Aurum quod valore suo precellit omne metallum
Signat caritatem que inter est omnium virtutum
Maria ergo dicitur eburnea propter virginalem castitatem
~~Est~~ Et auro vestita propter perfectissimam caritatem
Et pulchre virginitati coniungitur caritas
Quia sine caritate coram deo nichil reputatur virginitas
Et sicut nos non tenemus lampadem non ardentem
Sic deus non tenet virginem caritate non lucentem
Thronus Salomonis super sex gradus erat exaltatus
Et Maria super excellit beatorum sex status
Super excellit enim statum patriarcharum prophetarum et apostolorum
Statum quoque martirum confessorum atque virginum
Vel sex gradus thronus Salomonis habebat

http://dl.ub.uni-freiburg.de/diglit/speculum1436/0042
© Universitätsbibliothek Freiburg
gefördert durch Baden-Württemberg